

ISRAEL & ALBERTUS,
SUECIÆ REGES.

DRAMA,

AD QUOD

FUTURO DIE IOUIS,

QUO

CONSULI
MAGNIFICO,

FASCES AUSPICATO

CAPESENTI,

ATQUE

UNIUIERSO ORDINI SENATORIO

INCLUTÆ CIUITATIS ZITTAUIENSIUM

AMPLISSIMO SPLENDIDISSIMOQUE,

GYMNASIUM GRATULABUNDUM

d. XII. Octobr. MDCCLXXX.

H. L. Q. C.

PIETATEM SUAM ET SUBMISSIONEM

OFFERT,

PER OFFICIOSE ET PER AMANTER

INUITAT

Adam Daniel Richterus,
Direct. Gymnsf.

Zittavia, Litteris Frankii.

7785



Modestia cum moderatione non solum ampla et spatiosa res, sed etiam utilis et necessaria virtus est. Teste enim Horatio, cultum et motum, & omnem nostram occupationem ultra defectum et citra excessum hæc virtus sistit, dicente:

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Hæc iubet id spectare, ut in omnibus moribus nil fiat, quod cuiusque offendat adspectum, sed quid deceat sanctitatem, amat sermones libra iustitiæ examinatos, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus atque in verbis modus, nec non verecundiam in ipso motu, gestu, incessu, quia habitus mentis cognoscitur in corporis statu, qui, sicuti vox, quidam animi index est. Efficat deinde etiam multum modestia cum moderatione, ut homo in se consistat, non infra deiciatur, non supra attollatur, non euadat in longius, non extendatur in latius. Adjuvat enim ut teneat modum, qui non vult perdere totum. Multum igitur momenti habet in se, ut possit fortunatum beatumque perficere. Omne autem quod bonum est, utique necessarium est. Sequitur inde, modestiam rem utilem et ad salutem properanti utique necessariam esse. Quum autem aliquando difficile sit, puta sub amore Principis, custodire modestiam, quæ tam clara, quam rara virtus est, gaudia enim semper animos inquietant et modus raro lætis rebus intervenit, vir igitur sapiens aliquis magnis et beatis eligendus et semper ante oculos habendus est, cuius verecundiam imitentur, ut homines esse se vivant memores, ne, quo magis beati sunt, insolescant, ut æquales gerant se, ditiores licet. Nam: cognosce te ipsum; monitum est ubique commodum, et nemini placebit, qui sibi placere velit.

Rex in nostro Dramate, hodie in scenam producendo, ista modestia & moderatione est, quæ non facile reperitur in multis aliis. Ex consuetudine enim ab antiquis temporibus recepta quum pietas et officium sit, ut Musæ Zittauensis Gymnasii quotannis anniversarias regiminis vices piis votis & publicis gratulationibus prosequantur, *Magnificis Consulibus* cum illi, qui proxime ad gubernacula feliciter sedebat, tum *Novo Consuli*, non sine bono omine cum summa expectatione iam ad clavum sedenti, atque Viriverfo Ordini Senatorio, pietatem suam, submissionem & obsequia testantes, & deinde Dramate quodam latino lætari soleant, Drama hoc anno elegimus, cuius heroes Israel & Albertus Sueciæ Reges sunt.

Argu-

Argumentum autem Dramatis insequens est.

Deiectus multis, iisque gravibus ex causis, quas pluribus historici referunt, throno erat Magnus hujus nominis secundus Suecorum Rex, quum regni proceres de alio, & meliore sibi Rege ac capite providere coeperunt. Multi Albertum, Ducis Mecklenburgensis Alberti filium, partim, quod is ex Euphemia Magni sorore natus, ius quoddam regni habere videretur, partim, quod ipsi ab ejusdem parente, dum a Magno pulsi, & in exilium ejeti fuerant, bene excepti & habiti fuissent, regium ad thronum evocarunt. Alii vero eorum, quæ ab illis acta fuerant, omnium ignari Israellem, virum Suecorum facile nobilissimum, D. Birgittæ is frater erat, egregiis illius dotibus capti, Regem salutarunt. Timendum sane erat, ne ex diuersa hac procerum sententia funesta Sueciæ fata obvenirent, & obvenissent forte, nisi turbas iam exortas Israel modestissima sua prudentia & prudente omnino modestia composuisset.

Sequela rerum in hoc Dramate constituta hæc est.

Act. I.

Sc. I.

Alberto, qui ex utroque de eorum fide quærit, num firma constet, pollicentur *Ericus* & *Nicolaus* suam fidelitatem & diligentiam in deferendo ipsi coronæ decus, isto tamen monitu, ut caueat, ne moribus par sit superiori regi *Magno*, throno nuper pulso, quibus *Albertus* omnia recipit.

Sc. II.

Carolus Toftanus, ad priores accedens, nuntiat, se vidisse aliquem triumphali pompâ urbis moenia subeuntem, quem focii, qui sequebantur, regem suum voce sublata dixissent; *Nicolaus* igitur suadet *Alberto*, ut coniuncta virtute impios prosternat aut saltem in fugam abigat, quum miles ipsi non defuturus sit.

Sc. III.

Israel, Suecus, cum filia incedens inter publicos clamores pompa triumphali, novus rex adducitur, cui *Petrus*, Præsul Holmiensis, & *Christiernus*, unus ex proceribus, de throno suscipiendo gratulantes sua obsequia promittunt.

A 2

Sc. IV.

Sc. IV.

Accedit ad priores *Albertus* cum suis intra scenam armatis. *Israel* perterritus, ignorat quidem furorem, unde fit, tamen vero parat se cum suis ad pugnam & commendat *Petro*, Archi-Præfuli, suam filiam pavidam, ut mali nihil patiatur, quæ deinde cum *Petro* abit.

Sc. V.

Erumpit *Albertus* cum suis, fit pugna, vincitur tamen *Alberti* manus, isque cum reliquis capitur.

Sc. VI.

Redeunt *Petrus* & *Ingeburga*, gratulantes *Israeli* de victoria. *Israel* ignoscit *Alberto*, quod ignorans fuerat, *Israelem* esse, cui thronum rapere voluisset, & mandat modo, ut statim Suecia relicta domum abiret, quæ quidem iussa complere *Albertus* promittit.

Sc. VII.

Albertus dolet, quod fors Principes iniqua ludit, *Carolus* autem abit, quod ipsum amplius iuvare non licitum sit.

Sc. VIII.

Albertus amicis suis confitetur, *Ingebertam* ipsi petus eripuisse, quæ sola & unica ipsum volentem abire tardaret, *Nicolaus* igitur monet *Albertum*, ut tam pulchra causa præfens in Suecia maneret atque ea consilia, quæ pro illius felicitate excogitaturus sit, sequeretur.

ACT. II.

SC. I.

Albertus, ueste sacri ministri indutus, fatetur *Ingeburgæ*, se propter illam unam patris ejus iussa neglexisse sicque indutum esse, ut tutus latere posset; *Ingeburga* autem promittit illi parem amorem.

Sc. II.

Ingeburga, vocata a *Petro*, ut præfens sit patri ad aram sacris precibus vacanti, commendat *Petro* *Albertum*, latentem sub sacra veste, ut illum sacro suo ordini adscribere velit.

Sc. III.

Sc. III.

Petrus ex fronte *Alberti* colligit, illum altioris esse ordinis, *Albertus* autem petit, ut ipsum ad breue tempus latere sinat.

Sc. IV.

Israeli, novo regi, omnes amici cum filia regis faustum & felix regimen apprecantur.

Sc. V.

Christiernus nuntiat *Israeli*, nouo regi, quæ de ipso gaudia populi sint, rogans, vt velit quosdam viros hortenses ipsi gratulatueros admittere.

Sc. VI.

Israel, *Ingeburga* iussa a patre abire cum Iuene sacerdote, sigillatim nunc quærit ex amicis suis, an ipsis videatur satis tutus dirigere sceptrum Sueciæ.

Sc. VII.

Christiernus obiurgat *Nicolaum* atque *Ericum*, quod memoriam *Alberti*, quem prius destinavissent throno regio, pectore suo excutere possint, qui deinde in societatem coeunt, ut unitis viribus *Alberto* auxilio esse velint et regem adigere, ut ipse *Alberto* natam et thronum cedat.

A& III.

Sc. I.

Carolus Canuto de dolo nuntium adfert, quo *Albertus* rapturus sit thronum & natam Regis.

Sc. II.

Albertus Ingeburgæ aperit hunc suum dolum, quem illa quidem respuit.

Sc. III.

Christiernus quærit ex *Ingone*, regio hortulano, an cuncta parata sint, ad obsequia sua Regi nouo præstanda.

Sc. IV.

Ingo, hortulanus, flores cum bonis votis Regi nouo tradit, quibus reliqui vota sua addunt.

Sc. V.

Canutus & *Carolus* Regi nouo aperiunt malum, quo id agatur, ut *Alberto* regni fasces coactus cederet; Rex autem ex illis quærit, qui hujus fraudis ministri sint.

Sc. VI.

Israel dolet de hoc sibi parato dolo, qui quidem non felix omen sui regni sit.

Sc. VII.

Israel primum irascitur *Petro*, quod sub veste sacra *Albertum* condat, cui deinde, ignaro istius fallaciæ, ignoscit.

B

A&

Act. IV.

Sc. I.

Petro, Præsuli, mirum et insolitum videtur, quod *Ingeburga* tam callide oculos eius fallere, ipsique *Albertum* sacerdotem commendare, & quod tam impie tantos laqueos patri suo, amore Alberti capta, struere potuit; *Carolus* abit, ut *Albertum* Regi præsentem sistat,

Sc. II.

Carolus severiorem scenam nunc ominatur.

Sc. III.

Israel valde invehitur in *Ingeburgam*, quod non abhorreat sic patrem petere dolis, iubens ut e conspectu suo statim abeat,

Sc. IV.

Petrus & *Carolus* rogant regem, ut se suæ filiae velit mitiorem ostendere.

Sc. V.

Regi, quærenti ex *Alberto*, cur nondum, diu iam iussus, Sueciæ plagis abiisset, *Albertus* fatetur, amorem, quo pectus ejus *Ingeburga* succendisset, in culpa esse; sed rex rebellem ipsum pronuntiat, et, sociis ejus iussis patrio solo cedere, *Canuto* custodiendum mandat, ut crastina luce digna supplicia sentiret.

Sc. VI.

Post varia iurgia monet deinde *Canutus*, ut *Albertus* non amplius renuat regium sequi nutum.

Sc. VII.

Amici *Alberti* consilia ineunt de rege ad mitiora cogendo interficiendove.

Act. V.

Sc. I.

Nicolaus avet scire, quid pro salute *Alberti Christiernus* & *Ericus* egerint.

Sc. II.

Ericus accedit in persuasionem, se sua dextra in umbra noctis *Israelem*, Regem, occidisse, quod quidem facinus improbum *Nicolaus* illi exprobrat.

Sc. III.

Ericus, a *Carolo* ad Regem vocatus, timide suspicatur, quod se sua manus incautum decepit.

Sc. IV.

Sc. IV.

Rex, *Petri & Canuti* precibus motus, filiam a poena liberare promittit, et *Albertum* accersiri iubet.

Sc. V.

Alberti amici solliciti sunt de venia a Rege impetranda.

Sc. VI.

Ingeburga, ad pedes patris fusa, veniam nunc a patre ipsa petit et accipit.

Sc. VII.

Israel miratur, unde tam fortis animus sit *Alberto* ad poenam subeundam, roganti Regem, ut chartæ traditæ tenorem ipsi aperire velit.

Sc. VIII.

Canutus Israeli nuntium adfert, quod *Christiernus* ense occisus iacet, *Ericus* ipse se cædis autorem profitetur, et quod sica in ipsius Regis exitium parata fuisset, aperiens insimul, *Christiernum* clam a partibus *Alberti* stetisse.

Sc. IX.

Ingeburga a patre iubetur legere schedulam *Alberto* traditam, in qua cupit Rex, ut conscendat thronum *Albertus* sibi debitum, et ut patrem *Ingeburgæ* semper amare velit, qua prælecta *Israel* ipse regno et throno abdicat, et, filia ipsi in matrimonium data, sui ipsius loco *Albertum* regem substituit.

Index Actorum.

- Israel*, Rex *Sueciæ*. Johann Friedrich Hellwig, Ebersbach, Luf.
Ingeburga, illius filia. Johann Carl Böttger, Zittaviens.
Albertus, Princeps Mecklenburgensis, Benjamin Gotthard Kuzprecht, Heyda, Bohemus.
Petrus, Archi-Præsul Holmiensis, Christian Gustav Bürger, Zittav.
Canutus, summus aulæ & militiæ Præfectus, Johann Wilhelm Krause, Wernsdorf, Siles.
Carolus Tostanus } George Adolph Möller, Zittau.
Nicolaus Storanus, } Ernst Wilhelm Kummer, Radwitzens. Lusat.
Procures.
Christiernus, } Christian Friedrich Richter, Zittaviens.
Ericus, } Johann Christoph Kunze, Zittaviens.
Ingo, horti regii Præfectus, Johann Gottfried Gocht, Zittau.

Partes Gratulantium sustinent.

- Carl Gottfried Grundmann, Zittaviens. Orat. latin.
Ehrenfried Benjamin Altner, Zittaviens. Orat. latin.
Christian Ehrenfried Eschaschel, Zittaviens. Orat. latin.

Vt

Vt igitur huic nostræ devotioni, crastina luce, *Senatu Amplissimo* autore, audita hora a meridie secunda, publice, quod felix faustumque sit, peragenda favere, discipulofque quosdam primæ Classis in Gymnasio, cum dicentes tum agentes, benignis auribus & fauentibus oculis audire & spectare velint, id est, quod *MAGNIFICUM & AMPLISSIMUM SENATUM*, aliosque *Fautores & Amicos* omnes, submisse, officiose et obsequiose rogo & oro.

Canenda sub finem Dramatis,

CORO.

Ihn, der im heiligen Dunkel wohnt,
Preißt von Geschlechtern zu Geschlechtern,
Singt in den Hütten der Gerechten,
Wie herrlich er die Seinen lohnt.

Die Andacht. Auf, Zittau, stimme deine Lieder,
Und knie vor des Höchsten Thron.

Zittau. Ja, Gott erscheinet mir nun wieder,
Heil mir! er ist mein Gnaden Lohn.

Andacht. Sein Lohn wird ferner dich entzücken

Zittau. Kein Elend wird mich ferner drücken,

Beide. Denn Gott ist Schirm und Schild.

Andacht. Jehova wird dir Seegen geben
Dich wiederum erfreuen.

Zittau. Wird nur sein Seegen um mich schweben,
So werd ich wiederum gedenhn.

Die Vorsicht. Mein Seegen soll dich ganz umgeben,
Wirst du nur dessen würdig seyn.

Zittau. Gott hat mich wieder angesehen

Stadt: Gottes soll mein Name seyn.

Andacht. Der Höchste sah dein frommes Flehen,

Stadt: Gottes soll dein Name seyn.

Zittau. Wir wollen in den Tempel gehen,

Uns Ihm zum Eigenthume weihn.

CORO.

Hochheiliger! wir beten an,
Und sinken tief im Staube nieder!
Es dringen unsers Dankes Lieder
Einst kühnern Flugs zu ihm hinan!
Sein dunkler Pfad führt doch zum Licht,
Und wer ihm glaubt, den läßt er nicht.

2015 4 008654